

æqualem esse summæ prius collectæ, si erratum non est. Vt si primum exemplum in hæc duo membra distribuatur, & eorum summæ collectæ in vnam redigantur summam, vt hic factum est, prodibit eadē summa, quæ prius.

Quarto & vltimo examinari solet additio per subtractionem, hac ratione. Quando duo numeri sunt additi, subtrahatur vteruis eorū ex summa: quod quo pacto fiat, capite sequenti docebimus. Si enim numerus ex hac subtractione relictus æqualis fuerit alteri numero addito, argumento est, nullum peccatū in additione fuisse commissum. Nam si ex 12. & 20. fiunt 32. necesse est, detractis 12. ex 32. relinqui 20. vel detractis 20. ex 32. relinqui 12. Quando verò plures numeri sunt additi, subtrahatur vnus eorum ex summa, & reliqui omnes in vnam summam colligantur. Nam si hæc summa illi residuo fuerit æqualis, rectè facta erit additio. Vel certe, subtracto primo numerorum addendorum ex summa, subtrahatur ex residuo secundus, & ex hoc residuo tertius, & ita deinceps, vltimo excepto. Si enim vltimum residuum vltimo numerorum addendorum æquale fuerit, dubium non est, quin additio rectè facta sit. Atque hoc examen certissimum est, licet sit alijs paulo longius.

Quarta probatio additionis per subtractionem.

*SVBTRACTIO INTEGRORVM
numerorum. CAP. III.*

Subtractio est minoris numeri ex maiori, vel æqualis ex æquali, subductio. Subtractio quid.

B 4

Facile